



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VI. Ostenditur distinctio Personarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

enim sunt verba Gentilis : *Tris*, inquit, *concurrunt in Trinitate, Essentia, qua dicitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Atq; hac est vera Trinitas, qua est triū Unitas, non quæ quidquid dicat dominus Calvinus de etymo.* Hoc verò dicit refellens Calvinus, ait, in Trinitate non comprehenditiam, quasi vna sit ex numero trium, sed includi in omnibus, quod quidem verissimum est, atque utinam semper erraret Calvinus.

lobet Calvinus

CAPVT VI.

Ostenditur distinctio personarum.

Trinitas



VANTVM ad SECVDVM, probandum est Deo vno & simplici verè inueniri tria re ipsa distincta, quæ nos personas, seu hypostas dicimus, in qua reali distinctione trium, fundantur illa omnia, de quibus iam egimus, id est, personæ, proprietates, relationes, &c. Magister lib. i. dist. 2. & multi alij effectus pro argumento, quod Scriptura coniungat nomen Dominicale cum verbo singulari, vt Genes. i. *In principio creauit Deus, ברא אלהים* Psalm. 36. *Dominus iridebit eum, יישיח* Domini ridebit. Sed non puto argumentum esse modum solidum, siquidem Scripturæ consuetudo id habere videtur, vt nomina illustrium personarum ponantur in numero multitudinis, licet verba retineant numerum singulari. Quam consuetudinem nos Itali ex parte imitantur, vt viris grauibus non dicimus, *Tu*, sed, *Vos*: licet vnum, nomen totos alloquamur.

Ac ne id, quod dico, Rabbinismum redolere videatur, quo ego longè abesse cupio, proferam rationes sententiarum. Moueor igitur his rationibus. PRIMO, quia in Scriptura hoc idem fieri, quando est sermo de hominibus aut falsis Diis, vt Exod. 20. *Non habebis Deos alienos* Hebræo, non erit tibi *Dij alij*; *אלהים אחרים*; Genes. 24. *Posuit manum super femur Abraham Dominus suus* Hebræo est *אדני צירי* Dominorum suorum, Exod. 21. *Si dederit Dominus tibi uxorem illi*. Hebraicè, *Si dederit Dominus tibi uxorem illi*. Hebraicè, *אדני צירי יתן* at certè si quid mysterij hinc lateret: non

passim nomina pluralia cum verbis numeri singularis coniungerentur. **SECUNDO**, quia si ista vocabula haberent significationem pluralem, liceret dicere, esse plures Deos veros. Quis enim reprehederet, si in hoc Scripturam sequeremur? Cur enim, quæso, liceat Hebraicè diuinas personas appellare Deos, & hoc idem non liceat Latinè?

DICES, Scriptura non ponit nomen Dei in plurali, nisi coniungendo cum verbo singulari. **RESPONDEO**, hoc non esse verum: nam 2. Reg. 7. vbi legimus: *Qua est autem gens sicut populus Israël, propter quem iuit Deus ut redimeret, &c.* Hebraicè legimus יהוה בר אללה iuerunt Dij. Et alibi similia multa reperies. Hoc igitur est quod quæro, quare liceat Hebraicè de diuinis personis dicere, Iuerunt Dij, & Latinè non liceat? Certè nulla alia ratio est, nisi quia Hebræorum consuetudo est, vt nomen plurale rem singularem significet, Latini autem eiusmodi consuetudinem non habent.

TERTIO, quia nunquam septuaginta, nec Hieronymus vertit Dij, nec vllus ita vertere auderet. Quod est argumentum, pluralem significationem in iis locis ea nomina non habere, sed singularem.

QUARTO, quia si nomen Dei in textu Hebraico haberet pluralem significationem, vbiunque inuenitur in numero multitudinis, esset apertissima & frequentissima contradictio in verbis diuinæ Scripturæ. Siquidè frequentissimè legimus, vnum tantum esse Deum, & tamen frequentissimè etiam legimus, Deos. Non est autem credibile, voluisse Deum his apparentibus contradictionibus perturbare populum suum, & occasionem blasphemandi præbere aduersariis.

Igitur his omissis, **PRIMUM** argumentum & quidem demonstratiuum est hoc: Qui accipit esse ab alio, necessariò ab eo distinguitur re ipsa: nec enim fieri potest, vt aliquis producat a seipso; sed Filius accipit esse à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, ergo distinguuntur re ipsa inter se Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Rursum, in Deo nihil potest fingi inhærens, seu non subsistens, quia in Deo nullum est accidens, nulla compositio: Ergo hæc tria cum sint re distincta, sunt tria subsistentia, & proinde tres hypostases, seu personæ.

Probanda est assumptio primi argumenti ex Scripturis;

m 2 nam

*An nomen Dei
m. i. habet pluralem
significationem?*

*hæc sapit gratia
m. i. h. i.*

nam per se cetera sunt euidentia. Ac Filium quidem habere ipsum suum esse à Patre, probatur primò ex illo Proverbio *Dominus possedit me*, id est, acquisiuit per generationem enim significat vox Hebræa יְהוָה . Et ne dicant intelligi de Christo homine in prædestinatione, seu præuisione generato ante colles, ibidem dicitur: *Cum eo eram cuncta componens*. Nec enim is, qui solum habebat esse in prædestinatione, poterat cum Patre mundum creare. quod enim habere esse solum in prædestinatione, non est, sed futurum esse autem non est, operari non potest. Igitur Filius Dei, qui cum Patre cuncta composuit, in principio mundi iam erat. Atque tamen per generationem à Patre acceperat esse.

Præterea Eccles. 24. dicitur: *Sapientia primogenita ante omnem creaturam*. Item Ioan. 5. *Dedit Filio vitam æternam sibi etiam semetipso*. Nec dici potest, hoc esse intelligendum de Christo homine, repugnat enim illud: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*. Videtur enim, vitam datam esse Filio à Patre, non quomodo creature habent creaturæ, sed quomodo ipse Pater habet. Item dicitur *Filius Primogenitus Dei et imago eius*. Verum nomen includit necessariò distinctionem, & processionem; Nec potest intelligi de Christo homine, quia dicitur de hoc Primogenito: *In ipso, et per ipsum creata est vniuersa*. Item Hebr. 1. vocatur *Filius splendor & gloria ternæ hypostasis*, quæ omnia dicunt processionem. Et trahantur ad humanitatem, additur ibidem, *per quem facta est secula*.

Deniq; 1. Ioan. 5. legimus: *Et simus in vero Filio enim* verus Filius à Patre est natus verè. & ne dicant, hoc pertinere ad solum hominem Christum, subditur: *Hic est verus Deus et vita æterna*. Itaq; de Filio res est certissima, habere esse à Patre, ac propterea distingui re ipsa à Patre. De Spiritu sancto probabitur postea in quæstione propria. Interea sufficiat illud Ioan. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mitto vobis à Patre, Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit et in me non est, et in Patre non est, et in Filio non est, et in Spiritu sancto non est, et in Spiritu sancto non est, et in Spiritu sancto non est*. proinde ab illo distingui: Dicitur etiam mitti à Filio, proinde etiam ab illo distingui: *Misso enim in diuinitate non potest intelligi, nisi secundum processionem, ut supra dictum est, & infra etiam dicitur.*

SECVNDVM argumentum sumitur ex voce, ALIUS, Scriptura siquidem vocat Patrem alium à Filio, & Spiritum sanctum alium ab utroque; Quod quidem apertam distinctionem, & quidem realem indicat Ioan. 5. Filius de Patre loquens: *Alius* inquit, *est, qui testimonium perhibet de me.* Et Ioan. 14. de Spiritu sancto: *Alium*, inquit, *Paracletum dabit vobis.* Non autem diceremus de vna persona, alius est Marcus, alius Tullius, alius Cicero: nec de eodem alius est orator, alius consul, alius imperator. Est tamen obseruandum cum S. FVLGENTIO in lib. de obiectionibus Ariatorum, Patrem, Filium, & Spiritum dici alium, & alium, & alium; non aliud, & aliud, & aliud. Siquidem, aliud, distinctionem in essentia; alius distinctionem in persona significat. Quare Ioan. 10. Christus ait: *Ego & Pater vnum sumus, non aliud sumus.*

TERTIVM argumentum sumitur ex particulis quibusdā denotantibus distinctionem, vt APVD, CVM, IN, ET. Prouer. 8. *Cum illo eram cuncta componens.* Ioan. 1. *Et Verbum erat apud Deum.* Ibidem: *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Ioan. 14. *Ego sum in Patre, & Pater in me est.* Matth. vlt. *Baptizate omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Isa. 48. *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Et Ephes. 2. *Per ipsum (Filium) habemus accessum ad Patrem in vno Spiritu.* Nam si Pater, Filius, & Spiritus sanctus essent sola nomina, & nō res; essent omnino synonyma, quomodo M. T. Cicero. At quis diceret, Marcus erat cum Tullio, vel apud Tullium, vel in Tullio? vel Marcus & Tullius hoc fecerunt? vel per Marcum habemus accessum ad Tullium in Cicerone?

Dicent, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non esse sola nomina, sed Patrem esse verum Deum, Verbum autem, & Spiritum sanctum esse virtutes, siue attributa Dei Patris, ratione tamē, non re distincta ab ipso. At nec de virtutibus, seu attributis eiusmodi sententia verē dici possunt. Quis enim diceret, Sapientia est apud intellectum? vel Sapientia cum intellectu hoc fecit? vel homo & manus eius hoc fecerunt? Confitendum est igitur, aut Scripturam ineptissime loqui, aut veram esse distinctionem inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

QVARTVM argumentum ex eo sumitur, quod Scriptura inducit

inducit Deum loquentem in numero multitudinis, vel loquentem de Deo tanquam de alia persona. Gen. 1. *Dixit Dominus, faciamus hominem ad imaginem nostram.* Gen. 3. *Eccedam quasi vnus ex nobis factus est.* Gen. 11. *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Gen. 19. *Pluribus Dominus à Domino.* Osee 1. *Dicit Dominus, saluabo eos in Domino suo.* Zachar. 3. *Dixit Dominus ad Satan, increpet te Dominus, o Satan.* Et licet Rabbinus hæc omnia eludant, dicentes, hæc phrasæ linguæ, &c. & difficile sit eos conuincere, tamè Catholicos habent suam auctoritatem, quia Patres patrum his argumentis vtuntur. & Concilium SYRMIESE apud Hilarium lib. de Synodis, dicit anathematis, qui aliter explicant loca citata ex Genesi.

PRAETEREA habemus alia loca in Testamento nouo, quæ nulla ratione possunt eludi Ioan. 10. *Ego & Pater vnus sumus.* Et Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansione apud eum faciemus.* Nec enim vna & eadem persona, quæ plura nomina vel officia habeat, verè dicere potest, ratione eorum nominum vel officiorum, nos faciemus, aut nos veniemus. quidem facere & venire personarum est, non nominum, & officiorum. & quis non rideret, si legeret dixisse Cicero. *Ego & Tullius veniemus.*

QVINTVM argumentum sumitur ex eo, quod Scriptura sæpè de Deo loquens, ternario numero vtitur. Exo. 3. *Ego qui sum, qui est misit me ad vos.* Ibidem: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Num. 6. *Sic benedicetis filium Domini. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui; conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Deut. 6. *Dominus Dominus vnus est.* Psal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Psal. 135. *Confitemini Domino, quoniã bonus, confitemini Deo Dominum, confitemini Domino Dominorum.* Isa. 6. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus.* Vbi notandũ est cum THEODORETUS lib. 2. ad Græcos, Deum in Testamento veteri noluisset ponere mysterium Trinitatis expressè, quia Iudæi in capite venerant, & quia recens exierant de Ægypto, vbi colebatur multi Dij, & intraturi erant in terram Chanaan, vbi etiam multi habebantur Dij; ne videlicet putarent, sibi etiam tres Deos

proponi colendos : voluisse tamen Deum adumbrare hoc mysterium, idq; multis modis, vt cum in Testamento nouo prædicaretur, non videretur omnino nouum, vel repugnans Testamento veteri.

SEXTVM argumentum ex numeris binatio & ternatio in Scriptura expressis. Ioan. 8. *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater : vbi apertè se, & Patrem duos testes facit. Et Ioan. 15. de Spiritu sancto addit: Ille testimonium perhibebit de me.* Atque ita sunt tres. Et 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.*

VLTIMO, addi possunt congruentiæ naturales, quæ non demonstrant fidem, sed ea supposita ostendunt id, quod asserimus, non esse contra rationem. quas congruentias non prosequar fusiùs, sed solùm indicasse cõtentus ero, ne videamur in eiusmodi rationibus fidei nostræ fundamentum collocare.

Igitur PRIMA est, summi & infiniti boni est, se summè & infinitè communicare : non autem Deus infinito ac summo modo se communicauit in productione creaturarum. SECUNDA, perfecta beatitudo comprehendit omnia bona: & vnum, & quidem insigne bonum est consortium æqualium personarum. TERTIA, generare sibi simile est perfectio, quæ non debet abesse à Deo, qui est vndeque perfectus. QUARTA, melius est ab eterno Deum aliquid produxisse, quam otiosum fuisse. QUINTA, quia inuenitur vna natura in vna hypostasi, vt in quolibet Angelo; plures in pluribus, vt in multis Angelis; plures in vna, vt in homine, vbi duæ naturæ, anima & caro, vna spiritualis, altera corporalis, in vnam hypostasim humanam conueniunt: igitur credibile est, esse quoq; vnam naturam, id est, diuinam in pluribus hypostasibus, hoc est, in Patre, in Filio, & in Spiritu sancto. SEXTA ratio sumitur ex vestigiis, quæ Deus impressit quodammodo in creaturis; de quibus vestigiis differit S. Augustinus à lib. 9. de Trinit. vsque ad 15.

Itaq; res omnes ita affectant numenum ternarium, vt plandè omnia clamare videantur, auctorem suum esse Trinitatem;

rem; quæ omnia fecit in pondere, numero, & mensura. Primum igitur tres solè sunt passiones omnibus rebus communes, vnum, verum, bonum. Deinde tota rerum vis distribuitur in partes tres. quidquid enim est, aut spirituale est, aut corporale, aut mixtum ex vtroque. Res spirituales tres hierarchias diuiduntur. singulæ hierarchiæ in tres ordines; singuli verò spiritus angelici non tam vestigium, quam imaginem Trinitatis referunt, eum tribus scilicet prædictis facultatibus, memoria, intelligentia, voluntate, atque in eadem mente nascatur notitia, ex notitia amor procedat. Porro in rebus corporalibus penè innumerabilia reperiuntur vestigia Trinitatis; sed ea persequi nimis longum, minusque necessarium hoc loco esse videtur. Nunc ad argumenta aduersariorum diluenda veniamus.

CAPVT VII.

Diluatur argumentum Primum contra distinctionem personarum in eadem essentia.

- ” **P** RIMUM argumentum est Valentini Genetivus
 ” Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, nec proceditur,
 ” est verus Deus: sed vnus Deus in essentia non gignit,
 ” nec gignitur, nec procedit, ergo vnus Deus
 ” in essentia non est verus Deus. sed Pater, Filius, & Spiritus
 ” sanctus sunt per vos verus Deus, ergo non sunt vnus Deus
 ” essentia. Propositio primi syllogismi ita probatur. Nihil
 ” Deus præter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sed
 ” gignit, Filius gignitur, Spiritus sanctus procedit: ergo
 ” non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus.
 ” Assumptio eiusdem primi syllogismi probatur hoc modo.
 ” Deus in essentia nihil est aliud, quam ipsa essentia communis
 ” nis tribus; essentiam autem non generare, nec generari, nec
 ” procedere, sententiarum docent.
- Ad hoc argumentum, Ioannes Vigandus lib. contra
 vos Arianos, non potuit respondere, nisi negando effectum
 non generare, nec generari, quidquid dixerint sententiarum
 & affert hanc, vt ipse quidem putat, demonstrationem. Pater
 ” us Dei est genitus secundum Scripturas, & Filius Dei est
 ” genitus secundum Scripturas.